De Obitu B. Lutheri

392 Cur Philipp: Mel: in vita Lutheri conscripta nihil de ipsius
obitu dixerit, rationem reddit Matthæus Wesenbecius in Epistola
ad Senatorem quendam Belgam missa, his verbis: Qualis porro
quamque felix, pius optatus, hujus divini viri fuerit decessus
et libris eadem re vulgatis, quos miror a te nondum lectos,
et conscientia hominum consentiente (res est enim non ita vetus)
planum est satisfactum. Fuit ille mihi crede, non tantum ingenii
o, doctrina, pietate, sed sanctimonia virtuteque mirificus. inter
sanctissimas precationes, animam lætam, et fiducia Mediatoris ac
quiescentem, in sinum æterni patris, cum multâ gratiarum
actione, majori spe et fiduciâ profudit. Quod autem miraris
Philippum in suo de vita ejus scripto, nullam istiusmodi obitus mentionē
inferre: primum non conveniebat ejus instituto. qui cum in tomo lucu
brationum illius edito præfaretur: de vita et genere doctrinæ Scriptoris
subjecto argumento disserendum sibi duntaxat ratus est. Deinde quod
extarent aliorum, qui præsentes fuissent, de pacata ejus demigrati
one, testimonia, publicis literarum monumentis consignata: ipsi
etiam judicium eadem re contestatum: Idarco, siquidē conjectu
ris assequor, non necessariam, nec convenientem proposito narra
tionem omittendam illic putavit, cum alias brevitatis esset stu
diosissimus. Hæc Wesenbecius. junge de Beatissimi hujus viri obitu
Sleidanum qui graphice et graviter illum descripsit in
Commentar: suis ad Annum M.DC.XL.